

ἀνωλόλυξε δὲ ἀντὶ τοῦ ἤυξατο, μετ' εὐχῆς ἐβόησε cf. adn. v. 1176. longe optime vetus Thucydidis interpres, cuius nunc memoria suscitatur, ἐπιθειασμούς dixit. ceterum vocem magis poetis propriam a Thucydidē non alienam esse discas ex II 4 τῶν γυναικῶν καὶ τῶν οἰκετῶν ἅμα ἀπὸ τῶν οἰκιῶν κραυγῆ τε καὶ ὀλολυγῆ χρωμένων.

H. U.

Ad Ciceronis pro Ligario 2, 5.

‘Cum ipsa legatio plena desiderii ac sollicitudinis fuisset propter incredibilem quandam fratrum amorem, *hic* aequo animo esse potuit belli discidio distractus a fratribus?’

‘Hic’ a Cicerone profectum esse non negarem, si ad antecedentia verba ‘propter incredibilem quandam fratrum amorem’ simul audiri possit ‘in eum’ sc. Ligarium. Nunc vero cum hoc nullo modo fieri queat — manifestum enim est mutuum amorem esse intellegendum —, ego ‘hic’ corruptum esse censeo. Quod autem nonnulli editores ‘hic’ pro adverbio accipientes idem valere volunt atque nostrum ‘bei dieser Lage der Verhältnisse’, hoc multis verbis refutare non opus est, quandoquidem ipsi editores de veritate huius interpretationis dubitasse videntur. Ad dunt enim Richterum ‘tunc’, Heinium ‘illic’ scribendum proposuisse. Ego scribo ‘sic’ (aequo animo), quod idem est atque Graecum αἴτως, cuius usus qui plura exempla requirat, affatim inveniet apud C. F. W. Muellerum ad Cic. p. III vol. I adn. crit. p. LXXV. Ego satis habeo duos locos adferre, unum Ciceronis (pro Rosc. Am. 26, 71) ‘non sic nudos in flumen deicere’, alterum Horati (C. II 11, 14) ‘sic temere’.

Berolini.

Ferd. Becher.

Lectiones astronomicae.

Dum Arati interpretum historiam criticam persecutus, quam alio loco explanabo, Germanici codicem Basileensem Berolini examino, data occasione commentaria astronomica a Maassio nuper edita denuo conferre constitui. nec poenituit me consilii, quoniam apparatus criticum, quod ad hunc codicem omnium facile principem et ab ipso editore descriptum attinet, erroribus gravissimis scatere intellexi. quos, quam brevissime fieri potest, corrigam, numeris usus Maassianis; non commemoravi, quae ille ex operis ratione neglexit.

Pag. 104, 5 adornantur (-ur per *compendium*) || 105, 6 australis || 107, 2 sqq. *codicis imago proponenda est*:

in quo urceus coruus antecanis aquila delfinus
 orion tela deltoton andromeda /ro trigin
 laepus caetus canis. unde fieri omnia signa nume
 ta unum et quae sequuntur. ||

107, 11 tuarum uirgiliae in taurum uergiliae corr. || 109, 1 stillae ||
 109, 2 sole fort. ex solē corr. || 111, 16 negotiationem || 111, 21